



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. XXIX. Quanto amore S. Vrsulam & socias Virgines Martyres
complexus sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

CAPVT XXIX.

*Quanto amore S. VRSVLAM & socias
Virgines Martyres complexus sit.*

NVNC ad illas reuelationes mirabiles & iucundas, quas ipsum de B. VRSVLA & comitibus eius habuisse cognouimus, manum cum animo pariter aduertamus: videbimusque manifestè, quòd etiam in continuis tribulationibus, iucunditatem & exultationem thesaurizauerit super ipsum, & nomine æterno hereditauerit eum Dominus Deus noster. Tantum circa has Domini Virgines speciosas, & Martyres pretiosas, felix IOSEPH affectum conceperat, vt illum signis euidentibus satis aperire non posset: tanta illis familiaritate & animi fuit puritate connexus, vt multa per illas secreta cognosceret, & aliquæ illi sua nomina reuelarent, & in suis eum tribulationibus solarentur. Vt er-

Eccli. 15.

*Amor eius
& deuotio
erga S. VRSV-
VLAM &
socias Vir-
gines.*

go

go intimum, circa has sacras Virgines, comprobaret affectum; noui cantus historiam in illarum honorem componere proposuit, & amorem. Cumque applicuisset dexteram ad scribendum: ecce, vna Virginum illi euidenter apparuit; & stans coram eo, quid scripturus esset, benignissimè & familiarissimè informauit. Quin etiam columbam pulcherrimam super humerum suum residere conspexit, quæ rostrum suum dictantis auriculæ incessanter infixit. Hanc quoque vnam fore de numero sanctarum Virginum intellexit: vnde & postea totam sacram sodalitatem illam, necnon omnes virgines Domino deuotas, Columbellas vocare, quasi nomine vsitato consuevit. Sed cum melodiam historiarum, iam conscriptarum, (quod maioris difficultatis erat) deberet componere; quotiescumque ad hoc animum applicabat, non paruum Virginum Chorum super se in aëre audire consuevit,

Sacras virgines Columbellas vocare consuevit.

concinentem cum iucunditate cælesti talem, quæ verbis conscriptis competeret, melodiam. Hoc quoque, quia quorundam fidem cum difficultate merebitur, me ex ore ipsius (qui de se mentiri non potuit) gaudeo audiuisse. Nam cum multo post tempore solus cum solo familiariter confedissem, cœpi, quasi iocando, præsumptuosum vocare, qui historiarum auderet componere melodias, quod etiam peritissimis artis Musicæ admodum difficile videretur. Coactus scandalum mihi tollere, & sibi falsò impositum, præsumptionis vitium excusare, celatam eatenus mihi aperuit veritatem. Non ego, inquit, hanc solus composui melodiam; sed sacræ mihi fuerunt auxilio Columbellæ. Et cum modum huius admirandæ reuelationis inquirerem; Cum post dictamen, inquit, verborum historiæ, de melodia sollicitus meo me lectulo reclinasset, Chorus Virginum super me in aëre congregatus,

tus, ipsam mihi præcinuit melodiam: quam ego sicut ab ipsis didici, verbis subscriptis studui annotare. Cui ego; Hoc, inquam, friuolum videtur & fictum, ut quisquam quanticumque ingenij taliter auditam à concinentibus melodiam possit memoriæ & scripto postea commendare. Ille verò volens omnino satisfacere dubitanti, admirationem meam maiori admiratione dissoluit. ait enim: Quotiescumque me illarum concentum contigit obliuisci, & mandare scripturæ notas alias quàm audieram; illæ super me iterùm & iterùm & multis vicibus redeunt, illas notas, quas obliuioni tradideram, tam diu, & toties repetere minimè destiterunt, donec meæ perfectè imprimeretur memoriæ, & meum errorem abraderem, & scripto, quod ipsæ docuerant, integrè commendarem. Solebat autem quædam verba eiusdem historiæ cum melodia sua nobis sæpiùs recitare: quæ concinendo, Doctri-
ces

ces

ces suas tanta dixit alacritate commo-
tas, hæc eas cum tanta hilaritate mul-
toties asseruit repetijſſe, vt & ipſe hæc
nobis referens mira iucunditate & oris
& animi moueretur. Vnde & pro il-
lius auditu, quo illi dedisti gaudium
& læticiam; & pro auditu meo, quo
mihi ex ore beati I O S E P H veritatem
hanc reuelare dignatus es, benedico te,
ô Domine I E S V.

CAPVT XXX.

*Magna precum instantia caput vnum
SS. Virginum obtinuit.*

V E R I T A T E M quoque duorum
miraculorum ſequentium, tuo,
ô Frater chariſſime, audeo testimonio
comprobare: neque enim tu dicendo,
ſed nec ego ſcribendo veritatem of-
fendam: te dicente, quæ ſciſti; & me
ſcribente, quæ nescientem per os tuum
agnoscere voluiſti. Accidit, Dei nutu,
aliquando beatum Virum fuiſſe præ-
ſentem,